

& manus, demum reducere voluntarie re-  
lapsos. Relaxantur in penitentiam dies,  
ne Monachorum relaxentur mores; sed ut  
grati respondeant magnificentiæ, & mag-  
nificentiæ multiplicationi: quandoquid-  
dem pietatem multiplicat, quia non solum  
nos vocat, sed etiam revocat. In vitijs tri-  
stes lacemus: & simulac furgimus, multi-  
plicat magnificentiam; quia non solum  
ignoscit remittendo culpam, sed nos so-  
latur per collatam gratiam. Ergo fugia-  
mus quod nocet, & amori vero displicet.  
Quorsum consuetudo secularium? Amor?  
Falleris. Summum, & nativum odium.  
Non nos, sed nostra querunt. Sine aliqua  
utilitate, renuunt Monasteria ingredi, imò  
nec necere. Nullatenus visitant, ut exem-

pla virtutum & sequentes honorent: sed an  
aliquid virtutibus detrahendum curiosè vi-  
derint. Sciunt sanè Israëlita seculares, ubi  
in Iordane steterunt Sacerdotum pedes. At  
hoc aliàs. Ne demus nostra, quoniam sua-  
viter inferent sua numina, nonnunquam no-  
bis aliena: igitur perperam iudicium fiet  
mundi despecti, regnabitque vanitas, ni à  
corde princeps eiciatur foras: de quo ali-  
quando nobis crit sermo. Crudelis dilecto-  
ribus mundi amor est, ac tyrannus, ut in  
Monachis hæreat fucata virtus, nec nanci-  
scantur exercitijs facultatem, ut pervenire  
valeant in beatitudinem. Dicit vel Ethni-  
cus, 1. de Remed. vers. 149.

*Eripiunt omnes animo sine vulnere vires: Ovid.  
Affuit incautus insidiosus amor.*



TAU-

# TAUTOLOGIA SEXTA.

CONSTITUET TE DOMINUS IN CAPUT,

*& non in caudam: & eris semper supra,  
& non subter.*

Deuteronom. 28. vers. 13:

EXPOSITIO LITERÆ



INTER benedictiones servatoribus legis stipu-  
latas & felicitates in monte Garizim; atque ma-  
ledictiones & molestias in monte fulminatas He-  
bal; occurrunt binæ, præsentis Pleonasmii argu-  
mentum: quibus profecto affines aliæ sententiæ,  
discreta solummodo materia varietate. Unde si-  
cut per observantiam præceptorum promittitur  
populo: *Constituet te in caput, & non in cau-  
dam*; propter transgressionem e contra dicitur  
vers. 42. *Advena, qui tecum versatur in terra,  
ascendet super te: eritque sublimior: tu autem*

*descendes, & eris inferior. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.* Hæ sententiæ per  
Epizeuxim vim epitasis habent quâ certitudine eventus, quâ animi immutabilitate; ut  
altius sederent in animo audientium (transgressorum & observantium) mandata credi-  
ta. Quare sensus verborum est: erit omnimodò beatus custoditâ lege, quippe remove-  
bitur undique ingruens calamitas; sicut proterità lege miser, quoniam fugiet felicitas.  
Utrumque describitur ibidem fusc.

Pro Tautologia materia notandum *caput & caudam* coniunctivè, in sacris li-  
teris signare universitatem, seu omnium collectionem, ut cum dicitur: *Filij & filia,*  
Deuter. 32. 19. *Cantores & cantatrices,* Ezech. 2. 8. *Sponsus & sponsa,* Jerem. 25. 10-  
33. 11. *Baalim & Astaroth,* 1. Reg. 7. 3. id est, universa idola Deorum & Dearum.  
Sicut univerforum collectio per utrumque præsignatur sexumita per utrumque anima-  
lis extremum universi demonstrantur. *Disperdet Dominus ad Israël caput & caudam*  
(Isai. 9. 14.) *die unâ.* Nimirum, cunctos: principes & plebcios. Ideo additur: *Incur-  
vantem & refrenantem*; sumptâ metaphora à plantis. Quod iteratur cap. 19. 15. ubi:  
*Non erit in Agypto opus, quod faciat caput & caudam, incurvantem & refrenantem.*  
Quod d. *Ramus & iuncus*, quod Hebrai proferunt forma adagijs pro nobili, & ignobili,  
equite & pedite; sicut pro summo & imo, forti & imbecilli, excelso & infimo. Non aliud  
arbitror per caput, quàm per incurvantem; nec caudam, præter refrenantem: hoc est,  
heram, qui equitando pondere equum curvat; & servum, qui ad ministerium frenat  
( & si variè fatiscant in explanatione Expositores ) totumque signasse cunctos homines  
cuiusvis conditionis & ordinis. Nostrates: *A roso, y belloso. Sin reparo: de cabo à rabo.*  
Ingeniosè & opportunè Septuaginta ad textum prætar. legunt, pro *Incurvantem & re-*  
*frenantem; principium & finem.* Et Hieronymus: *Nullum habebit Agyptus, opus sive*  
*consilium, quod aut caput habeat, aut finem: aut sensibus conveniat, aut pueris.* Id est, Hieron.  
omnium & omne consilium in opus ita à prudentia devium, ut nunquam obvium. Hispani-  
cè: *Sin camino: ni lleva pies, ni cabeza: sin atar, ni desatar.*

Esti arideat cogitatio; commodior est, ac literæ affiniór, caput & caudam,  
principium & finem, incurvantem & refrenantem, ramum & iuncum signare colle-  
ctio-

Rr2

ctio.

*Epizeuxis  
in S. Scripte.*

*Exposit. 22*

*Universitas  
per utrum-  
que sexum  
signata.*

*Etiam per  
extrema in  
quavis cla-  
sse.*

*Septuag.*

Quid faber & incisus sumi? Atonem. Simili stylo pro omni artifice, ut placet aliquibus, vel pro omni ad munia militaria habili, ut magis congruum dicitur à Ieremia 24. 1. *Transiit Nobuchodonosor principes, & fabrum & inclusorem.* Idem cap. 29. 2. & 4. Reg. 24. 16. quo loco vers. 14. perspicue exprimitur univèrsitas: *Transiit (protetur) omnem Ierusalem, & univèrsos principes, & omnes fortes exercitus, & omnem artificem & clusorem.* Artificem scilicet murorum: Vernaculè, *Maestros de Obras:* Clusorem, vel inclusorem, nimirum scientem castrametationem: *Maestros de Campo.* Ita ergo omnium collectio per extremorum nexum indicitur. 2. Reg. 5. 6. *Cæcos & claudos,* id est, omnes infirmos. Luc. 14. 13. 21. *Pauperes ac debiles, & cæcos & claudos.* Matth. 22. 10. *Malos, & bonos,* putà, univèrsos, validos & infirmos; uti Ierem. 24. 2. *Ficus bonas & malas.* Hinc pro cunctis sine exceptione accipiendum caput & cauda, principium & finis, nobilis & ignobilis, prior & posterior, currens & sedens, summum & infimum, à summo usque ad summum, primum & novissimum, senes & iuvenes, reptile & volatile, superior & inferior, Iudeus & Græcus, dominus & servus, liber & mancipium, & si quæ alia in Scriptura, aut fursum & deorsum, de quo infr. 25. Minime sic pro presentis Tautologia; nec caput accipiendum, aut cauda proprie, sed metaphoricè: nec caput pro eo cuius est caput, ut caput aîni, canis, hominis, pro asino, cane, & homine. 2. Reg. 3. 8. *Nunquid caput canis ego sum?* 4. Reg. 6. 25. *Caput asini.* 3. Reg. 2. 33. *Sanguis in caput Iob.* Psalm. 7. 17. Ierem. 52. 31. *Eleoavit caput Iob.* 3. Reg. 2. 33. Quod etiam usitatum apud Ethnicos, Plaut. in *Epidic.* Act. 1. scen. 1. vers. 86. *Planè hoc corruptum est caput.* Seneca in *Oedip.* vers. 251. *Vile pro cunctis caput.* Propertius lib. 2. *Eleg.* 1. v. 36. *Fidele caput,* Tibull. lib. 1. *Eleg.* 2. v. 11.

Tibull. *Et mala, si que tibi dixit demontia nostra, Ignoscas, capiti sint precor, illa meo.* Virgil. 5. *Æneid.* vers. 61. *Bina boum capita.* Etiam Græcismus est. Homer. 23. *Iliad.* vers. 94. & 24. vers. 578. *O charum caput!* Sophocl. in *Oedip.* tyrann. vers. 501. *Insigne & venerabile caput.* Euripid. in *Hippol.* v. 1054. *Odi tuum caput.* Et in *Troâd.* v. 1173. *Infelix caput.*

4 Non itaque hic sic accipiendum caput, sed pro excellentia; sicut cauda pro ignominia: igitur caput pars in homine superior, utpotè sphaera sensuum & potentiarum, thronique rationis. Unde exergasice secunda seu posteriore periodo exprimitur clarius indicatum in priore. *Verba eadem significant, que sequentia,* inquit Haye hic. Qua propter sensus testimonio germanus est: in regione possidentia, vel circumdatus gentibus, & insensis hostibus, semper eris in caput; id est, supra omnes: sicut si transfessor, eris in caudam, id est, subter infraque omnes. Sublimitas in gloria, maiestate & auctoritate in cunctis occurret, que per caput frequenter in Scriptura signatur. Ita, ubi supr. v. 15. *Longæcus & honorabilis ipse est caput.* Amos 6. 1. *Optimates capita populorum.* Idem Osee 11. 6. & Psalm. 17. 44. *Constitues me in caput Gentium:* nimirum, in regem, principem, ac imperatorem super omnes gentes. Ita in presentiarum. Quantumvis irruant bella, & inimici multiplicentur sicut arena maris, sub te erunt, quippe Dominus in caput constituet te: sicut econtra si prævaricator, cades sub omnibus. Allipulantur Versiones. Septuag. & Syr. *Principaberis tu gentium.* Reg. Complutens. & Chald. *Imperabis, eris superior.* Ar. Montan. & Venet. *Eris sublimis.* Rabb. Ionath. *Eritis elevati.* Pers. *Dabit te Dominus sublimiorem omnibus gentibus.* In caput esse (ait Oleaster in Hebraïsm. lit. C.) est esse superiorem: esse verò in caudam, est esse inferiorem & despicibilem; quod caput est pars superior & honorabilior in homine: cauda verò in animali sit humilior. Ita Deuteron. 15. 6. *Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur.* Idcirco iunctis periodis facile percipitur sensus. *Eris in caput,* id est, supra: *non eris in caudam,* id est, subter. Etiam phrasis invenitur apud Plautum in *Menach.* Act. 1. scen. 3. v. 10. ait: *Superas facile, ut superior sis.* Et in *Bacchiâ.* Act. 2. scen. 3. vers. 61. *Subter in fundo.*

5 Etiam postumus exponere textum, accipiendo negationem mali per prius, & boni collationem posteriore loco per prolepsim, vel per anastrophe, præpostero ordine sententiarum: tuncque *Et* coniunctiva sumenda pro *Imò, Sed etiam:* Non verò pro *Non solum, Non tantum.* Plura exempla suppetunt in Sacri. pagin. Psalm. 83. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* hoc est, non solum dabit gratiam, sed etiam gloriam. Luc. 1. 32. *Hic (non solum) erit magnus, & (imò) filius Altissimi vocabitur.* Secundi, Psalm. 94. 10. *Hi errant corde: & isti non cognoverunt vias meas.* Nimirum,

Prolepsis & Anastrophæ in Script. Et pro sed etiam. non

non solum non cognoverunt vias meas, sed errant corde. Mich. 6. 14. *Tu comedes, & non saturaberis.* Q. d. Non solum non saturaberis, imò nec comedes. Gratia summa est removeri à malo; amplior protectò ferri in bonum. Summum beneficium erui à subiectione; maius utique dominari. Hinc eruitur alius Tautologia; sensus. Si observeris à Ibraël, lata præcepta, non solum non eris subditus gentibus; imò cunctis dominaberis: non solum non eris in caudam & subter eas; sed eris in caput, & supra illas. Secus autem si legis obliviscaris: non solum cades, sed corrues, ut infr. num. 7. & 35. videbimus. Non tantum non eris supra in caput, sed eris subter in populorum caudam. Hoc indicant Hebraïsmi tam ex parte affirmationis & negationis, quam ex multiplici geminatione vocum idem experimentum. Malucnda sic legit: *Dabit tibi capiti & non cauda; & eris tantummodo ad supra ascensionem in excelsum: & non eris ad deorsum inclinationem in declive.* Et vers. 43. *Ascendat super te ad supra ad supra; & tu descendas deorsum deorsum.* Oleaster: *Ascendet super te ascensione ascensione, & tu descendes declinatione declinatione.* Pers. *Ascendet super te, super te, superne superne: tu verò descendes inferne inferne sub illo.* Rabb. Ionath. *Ascendet ascensionibus post ascensionibus: tu verò descendes descensionibus post descensionibus.* Pro sensu subdit Oleaster hic: *Soleat Hebraïsmus geminatione eiusdem nominis & verbi, multitudinem ac magnitudinem designare:* quasi de bonis in bona ampliora & de his in amplissima: de malis in mala & peiora, & de his in pessima ascendere & descendere, non solum in rebus privatis, sed in publicis economicis & politicis: igitur in miseram servitutem redigeris imperaturos & in imperium sublimabitur, qui tunc & ad libitum foret additus dominantis potestati. Unde Arab. *Erit altitudine maxima, tu verò deprimeris in imum profundum.* Et Venet. *Ille in sublimem potestatem, tu verò in infimum locum.* Describitur summa felicitas ex legis custodia, & summa calamitas ex illius deploratione, aut negligentia: cuncta que præ oculis obijciuntur, ut qui non allecti felicitate, saltem intra legem contineantur terrore. Scelus sanè, ut ait Seneca in *Thyest.* v. 444.

Miser esse maxillè, esse qui felix potest. Malam bonæ præferre fortunam licet. 6 In terrorem ob plagas, & in voluptatem propter comites glorias, ducere & perducere intendit Moytes populum: in terram promissam etiam sollicitat permanentiam; quippe non solum promittit beatitudinem & fulminat cladem, sed perpetuam. *Eris semper,* vel fortunatus, vel miser. Fortunatus, quia eductus ex servitute in principem: miser, quippe servies servitutis: quod nã servitium solum, sed & turpissimum. In servitutum cadere de Regno, grave est. Vid. num. 7.

Asperius nihil est humili cum surgit in altum: Cuncta ferit, dum cuncta timet: deservit in omnes; Ut se posse putent: nec bellua terrior ulla est, Quam servi rabies in libera colla furentis, Agnoscat gemitus, & pœna parere nescit, Quam subiit dominique memor quem verberat, odit. Ut canit Claudianus 1. in *Eutrop.* à vers. 181. & Deianira apud Senecam in *Hercul.* Octavo, vers. 354. queritur clamans:

In famule locum regina cecidit: Multumque ab illo traxit infelix status. Fortuna prior inflammavit magis. Senec.

Sic itaque futuri legis transgressores, & semper, quippe alienigena imperaturis dominabitur, caudaque despicibilis erit in caput; & supra, qui futurus infra. Potest etiam exponi Tautologia per adverbium; ita ut una ex vocibus idem significantibus, entitatem signet, & aliam entitatis extensionem, & intensiorem felicitatis vel servitutis. Fovent Versiones. Tigur. *Ille longè supra: tu verò longè infra.* Pagin. *Super te ascendet quam maxime, tu descendes quam infime.* Paliogicè etiam exprimuntur. Unde Syr. pro *Ascendet super,* veritè: *Ascendet supra supra: tu verò infra infra.* Ita ascensione ascensione: descensione descensione: ascensione in excelsum, descensione in declive: supra fursum, infra deorsum: in excelsum supra, in profundum inferni: in cœlo fursum, & in terra deorsum; & si quæ aliæ phrasæ (de quibus in seqq.) tam in textu, quam in Versionibus, per adverbium germanè exponuntur. Q. d. Maxime ascendes: summe descendes. Quò non plus ultra, elevaberis: quò non plus ultra similiter deprimeris.

7 Haccine interpretatione plura loca sacra clarescunt. *Cadet superbus & corruet.*

Non pro Non solum. Expositio 3. Affirmationis & negationis copula per epistolam. Maluend. Pers. Rabb. Ionath. Oleast. Lex salmiana terrore & felicitate. Senecæ. Claudian. Servus infolens potestatis. Senecæ. Exposit. 4. Exposit. 5. Paliologia in Script. Sexta Exposit. Geminatione pro Adverbia.

*ruet.* Id est, de summo cadet summè regnum Babylonicum: præcepit mitteretur in imum; & ita cadet allisus; ut non solum non habeat, quò ulterius corrueat, imò iacebit exolitum. Ideo additur: *Non erit qui suscitet eum*: siquidem deplosa arrogantia, & virtute infirma, debet illud Dominus in manum, de qua non poterit fergere. Itai. 32. *Humilitate humiliabitur civitas*: hoc est, summè humiliabitur: & cò magis, quò celsior. Civitatem sublimem Dominus humiliabit, & ita proteret; ut ludibrium sit militi urbs univèrsæ decoris, gaudium univèrsæ terræ. Ubi vexatio & non extremum, dicitur humilitas, sed cum additur alia vox eiusdem expressiva, non solum signat urbis, vel gentis destructionem & vexamen (quod dicimus humiliationem) sed extremum, quo nec sit urbis speciem sensu præfato: equidem dum extremum malum non est, quantumvis grave sit malum; dicitur speciem humiliationis, seu humiliationis, non humilitas humilitate. Quare Tertullian. vers. 13. in *Senator.* relapsus, cap. 2. accinit: *Hæc non humilitas, sed humilitatis imago.* Proverb. *Est qui stultus apparuit, postquam elevatus in sublime.* In *sublime* pro maxime, ultra mensuram. Septuaginta: *Inbonorabiliter.* Ar. Montan. *Stultè.* Eodem sensu: *Elevaverunt arcam in sublime à terra.* Q. d. Aquæ multiplicatæ desuper per continuos quadraginta dies, non solum removetur arcam à terrâ; sed in summa & longè elevatur: quandoquidem illa ferebatur super aquas, & aqua quindecim cubitis altior fuit super montes quos opererat.

— *Cavam suspendens undique molem.*

Ut ait Alcimus Avitus *Genesios* lib. 4. vers. 503. Psalm. 67. 19. & ad Ephes. 4. 8. *Ascendisti in altum*: nimirum summè, in summum cælum, in altiora cæli loca, in cælum cælum, ut legit Oleaster in *Genes.* 1. 1. in cælum cæli, in cælum cælorum, ascendendo super omnes cælos, & excelior cælis factus: igitur cælum pro re sublimi, superiori que accipitur, ut diximus *Tom.* 2. T. 6. à num. 11. Sic etiam apud Profanos. Virgilius 12. *Aneid.* vers. 263. *Sublimemque feres ad sidera cæli.* Senec. in *Thyest.* vers. 609. *O cælum excessivissimum, regumque regem!* Plaut. in *Milit.* Act. 4. scen. 6. vers. 14. *Sursum ad supremum ascenderis.* Eurip. in *Cyclop.* vers. 210. *Spestate sursum, & non deorsum* putâ in cælum, non in terram; uti dicit Paulus Coloss. 3. 1. *Qua sursum sunt sapite, non qua super terram.* Sic namque egregiè & genuinè clarent huiusmodi testimonia per adverbium quod explicat vim nominis vel verbi, impletque utriusque significationem, ita ut expressum per superlativum fati non videatur expressum, nisi per adverbium additum. Invenies Gracissimum apud Homer. 15. *Odyss.* vers. 524. & 22. vers. 244. ubi *Mul-tum optimus. Optimi egregiè.*

8 Eodem sensu interpretanda geminatio 2. Reg. *Ascendebat scandens.* Id est, laboriosè. Fugebat filium persequentem indignus tali semine David. Fugit etiam civitatem, & ascendebat *Olivum-Olivarum, scandens & stens, nudis pedibus* incedens. Nos dicimus vernaculè pro moleste: *Cuesta arriba. Nudipedalia vestigia* (laboriosa ait Sanctius hic num. 34.) *in loco maxime clivoso atque arduo, qui silice borret, neque calcari potest sine sanguine.* Ideo tor geminationibus labor exprimitur. Maluend. *Ascendens in ascensione clivo olivarum ascendens.* Caiet. *Ascendebat per clivum olivarum ascendens.* Quo patet, quàm gravis fuga, qua parte animi merore pleni, ac ingratitude filij perculli; qua ex parte corporis subito in fugam acti, & denique itinere anfractuoso acclivi: igitur fugam capellebat non per plana regionis, sed per aspera montis, nimirum, per clivum olivarum. Similiter exponitur Tautologia principalis. Q. d. Summè extolleris uti in caput populorum: vel summè humiliaberis in extremum. Sicut prædictum, ita refractarijs contigit. Undè Baruch 2. 1. ait: *Propter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum, quod locutus est ad nos, & ad iudices nostros qui iudicaverunt Israel, & ad reges nostros, & ad principes nostros, & ad omnem Israel & Iudæ; ut adduceret Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta sub cælo, quemadmodum facta sunt in Ierusalem, secundum quæ scripta sunt in lege Moysi: ut manducaret homo carnes filij sui & carnes filie sue: & deat eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro in improperium & in desolationem in omnibus populis, in quibus nos disperfit Dominus: & facti sumus subitus, & non supra.* Thren. 1. 5. *Facti sunt boves eius in capite: inimici eius locupletati sunt, quia (sicut) Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius.* Fusc *Deuter.* 28. à vers. 15. deseribuntur mala, & super transgressores venerunt cuncta.

9 In præfati Pleonasma *Super* non sumendum pro vita, sed pro vita felici, nec *Subter* pro sepulchro, aut morte, sed pro infelicitate & tractum amaritudinis. Usc

Ter. 50. 32.  
Itai. 32. 19.  
Tertull.  
Prov. 30. 32  
Gen. 7. 17.  
Alcim. Avit  
Psal. 67. 19.  
Cælum pro re sublimi.  
Adverbium pro superlativo.  
2. Reg. 15. 30.  
Sanct.  
Maluend.  
Verbum geminatum pro adverbio.  
Expositio 7.  
Baruch. 2. 1.  
Thren. 1. 5.  
Quia pro Sicut.

acceptationis frequens. Hinc superi dicuntur viventes respectu barathri & inferni, de quo late à num. 30. Virgil. 6. *Aneid.* vers. 568. 680. & lib. 7. vers. 768. *Que quisque apud superos furto letatus inani.* *Inclusas animas, superumque ad limen ituras.* *Ætheria & superas cæli venisse sub auras.*

Pulchra congerit his loc. pro acceptione La-Zerda. Etiam videtur Genes. 42. 13. *Alius non est super.* Id est, mortuus est. Tob. 3. 15. *Certe desuper terram eripias me.* Hoc est, moriar. Senec. in *Troad.* vers. 506. *En intuere, turba que simus super: Tumulus, puer, captiva.*

Complexus est extrema Homer. 15. *Odyss.* vers. 348. accinens floridè per antithesim. *Sicubi adhuc vivunt sub splendore Solis, Aniam mortui sunt & in inferni domibus.*

Non sic intelligenda *Super Supra, Subter Infra.* *Super* accipiendum est pro eminentia in conditione, in substantia, statu, pretio, mente, consilio, loco, dignitate & honore; sicut econtra *Subter.* Hinc cum præfati testimonio aliorum sacrorum obvia interpretatio. Saepè hominem vel rempublicam facer textus assimilat vineæ, cedro, abieti, aliisque plantis & arboribus. *Ierem.* 11. 16-17. 8. *Psal.* 1. 3-36. 35-51. 10. *Daniel.* 4. 7-4. *Reg.* 14. 9-19. 23. *Isai.* 5. 4. *Iudic.* 8. à vers. 9. Unde Vates Evangelicus inquit: *Mittet id, quod salvatum fuerit de domo Iudæ, & reliquum, radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Idem iteratur 4. *Reg.* 19. 30. Hoc est, crescet, glifcet, & admittat planta, altas radices deorsum agentis, & expandentis è trunco stabili ramos sublimes fursum, florebis. Firmabitur, quin possit eyelli, quoniam in terra radicibus firmis, uti dicitur Ezechiel. 17. *Crescit & radices eius sub illa erant:* id est, deorsum profundè radicata, tam quò ad extensionem, quàm quò ad magnitudinem.

*Stabat in bis ingens annofo robore quercus.*

Ut succinit Ovidius lib. 8. *Metam.* fab. 11. Tantumque dicitur quod deorsum sub terra radicibus serpit, ut firmitas demonstretur: etenim iuxta radicem extensionem sub terra; extra terram (cui radicibus inhæret) ramorum ambitus, ac germinum coma.

— *Que quantum vertice ad auras.*

*Ætherias, tantum radice in tartara tendit.*

*Ergo non hyemes illam, non flabra, nec imbres Convellunt; immota manet, multosque per annos Multa virum volvens durando secula vicit.*

*Tum fortes late ramos, & brachia tendens Hue illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.*

Inquit appositè Virgilius 2. *Georg.* à vers. 291. Hinc *Radices eius sub illa,* non intelligendum allegoricè, præut opponitur arbori rationali, scilicet homini, qui dicitur arbor inverfa, dicente illuminando apud Marc. 8. 24. *Video homines velut arbores: equidem capilli, qui radices, non sub trunco corporis, sed super fastigium rutilant capitis; non deorsum, sed collocantur fursum; ut quærat homo fursum, nimirum cælum. Dicit vel Ethnicus de Bell. Punic. lib. 15. vers. 79.*

*Nonne vides, hominum ut cælos ad sidera vultus Sustulit Deus, ac sublimia finxerit ora?*

Ideo in Virgine, capillos habente fursum erectos, signata natura hominis à Pier. *Valer. lib. 1. poster. cap. 50.* additque: *Plato dixit hominem arbori similem esse: verum in hoc ab illa differre, quòd illa radices in terra fixas habet; homo autem in cælo, quòd capilli capitis radicem similitudinem quandam habentes indicant.* Cum analogia tropologiam, demonstrat Laurent. Hachtanus in *Microcosm.* Embl. 35.

*Quid sibi vult quercus, spaciantis undique ramis Dissociata, viri que gerè effigiem?*

*Arbor homo versa est, pedibus tendentibus altè, Estque caput radix, inquit Aristoteles.*

*Si bona sit radix, fructus dabit arbor optimos, Sin caret succo, mive, parumve feret.*

10 Non sic igitur intelligendum ly *Radices sub illa;* sed in signum roboris, virtutis, ac firmitatis arboris, sub cuius metaphora præfiguratur regnum Iudæ; quippe quàm ut ait Plinius lib. 16. cap. 31. *Arbor, quantum corpore eminent, tantum radice de-*

Super & subter pro fœlicitate & seruitute.  
Virgil.  
Super pro vivere.  
Senec.  
Homer.  
Pro eminentia in conditione.  
Ezechiel 17. 6.  
Ovid.  
Cacumen arboris iuxta extensionem radicis.  
Virgil.  
Homo arbor inverfa.  
Sil. Ital.  
Pier. Valer.  
Hachtan.  
Plin.

scendit .. Brevitate radicum celerius senescere arbores, aliqui putant. Minime huius arboris ad extra mirabilis amplitudo futilis: siquidem ut supra non arcesceret nec senesceret pompa; radices altæ sub illa erant, deorsum terræ inhærentes firmissime, quibus consistere truncus, ex quo ramorum propago, capillatura & fastigium. Quapropter ut signentur invalida, sub allusione arboris, arboris mutatur positionis figura. Sic igitur Senec. *Epist.* ult. inquit: *Cacumen radicis loco ponis.* Unde cum ex proportione radicum conficit diuturnitas arboris, prosperabitur & non flectetur, participato succo è radicibus profundi introrsum & altis. Eadem similitudine Gregor. Magn. lib. 1. *Moral. in Job* cap. 22. inquit: *Quod enim radix arbori, hoc unicuique hominum cogitatio sua est; quia in hoc quod exterius videtur, per illud tenetur, quod exterius non videtur: unde & per Prophetam dicitur: Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Non aliter proponitur Ezechia populum fore felicem. *Quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Sicut econtrâ ut exterminium notetur, dicitur *Job* 18. 16. *Deorsum radices eius siccantur, sursum autem atteratur mesis.* Et *Amos* 2. 9. *Fortis ipse quasi quercus, & contrivi fructum eius desuper, & radices eius subter.* Iuxta dicta de proportione radicum respectu fastigij arborum. *Homer.* 12. *Iliad.* vers. 132.

Senec.

Greg. Mag. 4. Reg. 19. 30. Cur cogitatio hominis simili radici arboris

Amos 2. 9.

Homer.

Quercus stant in montibus proceræ radicibus magnis late diffusis firmatæ.

Non (ita minatur Deus) proficili, stravi, reseculi gentem Chananzæam, sicut Nabuchim arborem, cuius ramis præcisus, folijs discussis, fructibus dispersis, germen radicium eius in terra, ut iterum pullularet, reliqui; sed potius evulsi, illos vomente terrâ, quâ nec memoria permaneret. Constat liquido ex metaphora Ezechielis: igitur postquam radicibus validis arbor gloriosa describitur, ut diurne firmaretur; non in superficie telluris, ut facile caderet; additur vers. 9. *Nonne radices eius evelleret, & fructus eius diringeret, & sicabit omnes palmites germinis eius & arefceret, ut evelleret eam radicibus.* Sine germine, stirpitibus destruat. Hispanicè: *Arrancar de quaxo.* Hocinæ stylo utitur *Iobus* 28. 9. *Subvertit à radicibus montes.* Id est, prorsum, omnimodè. *Æschyl.* in *Prometh.* vers. 575. *Ex fundo cum radicibus.* *Virgil.* 1. *Georgic.* vers. 319. *Sublime expulsum ab radicibus imis.* Ita cadet sine erectionis spe. *In arbutis commendatur generosi rami, foliorum frequentia, stirps firma ac stabilis, radices in profundum acta, umbra ex his procedentis amplitudo, redeuntes invicem fructus:* ait *Ælian.* de *Var. hist.* lib. 2. cap. 4. siquidem ut supra hæc omnia; respondere debent radices infra, ut canit *Ovid.* 6. *Fastor.* in *Vestal.* vers. 31.

Commendatio arboris ex quibus? Ælian.

Ovid.

Et quantum à summis, tantum secessit ab imis. Ita destruat, dicit Dominus, arborem proceram, quasi radices non haberet, quàm validæ sub illa radices: etenim stirpitibus evulsa, non ditabitur, nec perseverabit substantia eius, nec mittet in terra radicem. *Iob.* 15. 29. Ita *Cæsar* de *Potestate Pompei* in *Rempublicam Roman.* Rubicone traiceto dixit commilitonibus apud *Lucan.* 1. *Phar.* sal. 2. vers. 135.

Lucan.

Stat Magni nominis umbra, Qualis frugifero quercus sublimis in agro Excuvias veteres populi, sacratæque gestans Dona ducum: nec iam validis radicibus hærent; Pondere fixa suo est: nudosque per aëra ramos Effundens, trunco, non frondibus, efficit umbram.

Q. Curt.

Arbor Radix quæ Ioan. Hug.

Perpico Tautologie sensu, ad stylum tautologicum flectendus sermo. Radices eius sub illa erant. Ad quid ergo exprimitur, quod aliter esse nequit; igitur non arbores subsisterent, nisi subter ipsas versus ima radices haberent? Quorsum namque fructus sursum, & radices deorsum? An quia aliqua arbores radices habent versus aëra? In *India* sive erant (inquit *Q. Curtius* in *Alexandr. histor.* lib. 9. cap. 1.) prope in immensum spatium diffuse, procerisque & in proximam altitudinem editis arboribus umbroso: perique rami instar ingentium stipitem flexi in humum, rursus, quæ se curvaverant, erigebantur adeo, ut species esset non rami refurgentis; sed arboris ex sua radice generatæ. *Ioann.* Hugo in 4. part. *Indiæ Oriental.* Icon. 12. inquit: *Arbor quoque alia provenit, Arbore de Rays, id est, de radicibus nuncupata; & cuius ramis filamenta prærima descendunt, quæ terram attingentia, illi se denud insinuant, & radices agentia, ramos vicissim alios sursum parturiunt, qui & ipsi latius propagati, tandem arborescunt.*

constituunt, ambitu suo quartam partem miliaris unius complexam. Ecce rami deorsum & radices sursum. Intra vacuum castaneæ arboris vidi sæpe ita sollicitam naturam ad sui conservationem, quod mitteret ramum versus terram cui mordicus inhærebat, ex quo facta radix in robur & germina; quippe truncus carie facilis. Vidi, & sunt stipites in arboreto mei Laurenti. *Monalterij,* dicto *De Gratia;* quod observavi in hunc Ezechielis locum. Ita æquiformiter describitur arbor ramis subter pro radicibus in *Obelisc. Pamph.* lib. 4. *Hierogram.* 19. §. 5. *Inverso situ,* ait *Kirch.* & idem designat *Sebastian.* *Mufter.* 4. *Cosmograph.* cap. 2. & *Carolus Clusius* lib. 2. *Exotic.*

Rami radicem. Kircher.

Mirum est quod dicit *Goropius* in *Adosythybis,* pag. 485. nimirum, fructuum huius arboris est, exitiale originale peccatum illatum in mundum; quippe potina habet speciosissima, & suavissima. Si symbolicè loqueretur, in nullo alio aptior traductis significatio: equidem Adam radix est, ex qua rami filij eius, & radix radicum; igitur ab illo progeniti, radices sunt in germen peccati, etiam rami à prima radice, quippe radices filiorum, & nati natorum & qui nascuntur ex illis. Quapropter *Psalm.* 77. 5. *Mandavit patribus nota facere filijs, ut cognoscat generatio altera: filij qui nascuntur, & exurgunt, & narrabunt filijs suis.* Ita ergo si serpit per traducem culpa, faveat divina misericordia: etenim si radix vergit in damnum ramorum radicem, iustitia Dei in filios filiorum. *Canit Alcim.* *Avitus* lib. 3. *Genes.* à vers. 183.

Gorop.

Cur in arbore Radix symbolè peccati originis?

Penasque suas in prole videbis, Ut metuenda magis cernatur mortis imago, Peccasse agnoscas, quid sit, quid mortua fieri, Quid de mori: at nequid desit tibi forte malorum; Exin posteritas variis passura labores, Per varios casus mortalia debita pendet; Dum veterem ductus dissolvat terminus orbem; Occidat omne vicens, sinisque redarguat orta.

Alcim. Avit.

Physicè duntaxat intelligendo arborem firmatam radicibus, ex qua rami, qui radices ramorum; deservit, ac fabulosa credatur descriptio aliorum arborum amplitudinis. Ex *Fabricio Mordente* *Salernitano* refert *Ioann.* *Freinshemius,* ex quo etiam *Nicolaus Blancardus* loc. *Curtij* cit. *Interdum octingentos, aut mille viros, quo in numero ipse fuisse, unius huiusmodi arboris umbra tegi: atque affirmabat terna hominum millia etiam sub tali arbore latere posse.* Arte possunt fieri, sicut illæ Indiæ arbores spontè tellurem rursus subeunt, uti narrat *Laurent.* *Valla* lib. 3. *Hist.* de *Regn.* *Valent.* quem videris, *Munster.* ubi supr. & *Cæli.* *Inlium Cæsar.* de *Bell. Gall.* lib. 2. cap. 17. Plura apud *Plin.* lib. 12. cap. 1. fol. 246. *Asipulatur Curtius* ibid. lib. 6. cap. 5. dicens: *Arbores dense sunt ex industria constitæ, quarum teneros adnuc ramos manu sectunt, quos intortos rursus inserunt terræ: inde velut ex alia radice latiores videntur trunci.* *Pausanias* in *Achaia.* seu cap. 2. 28. *Petrus Bembo* in *Histor. Venet.* & *Cardan.* lib. 8. de *Subtilit.* mira narrat: igitur ille, arbores reperit affert sub polo *Antarctico* tantæ magnitudinis, ut vel ea capere nequeat complexus viginti hominum, extremis manibus seculæ contingentium. *Pinguis alimento* (inquit hic) arbores crescunt, non sulco, ob id pinguisimum & minime salsum *India* solum existimandum est; quod in immensum ibi crescunt arbores. *Reservant enim ibi quandam inventam è Zebeli genere* (nam hoc est arboris genus omnium maximam) trifidam inter cæteras, cuius singuli trunci viginti pedum ambitu cingebantur. *Spatia verò ipsa inter truncos iuxta terram totidem pedibus per ipsa verò spatia curvus onustus pulcherrè duci poterat.* At ubi trunci in unum coibant (hoc autem à terra procul pedibus quindecim) erat crassitudo arboris, pedum quadraginta quinque. *Ab ima parte crassiores trunci, & ad locum ubi primò prodibant rami, pedes octoginta: superior pars ex qua rami pendebant, absque mensura modo.* Huc accedit quod *Strabo* lib. 15. *Ovid.* *Hist.* *Ind.* lib. 9. cap. 6. *Carol.* *Clusius* *Comment.* in *Garciam* ab *Horto* de *Aromatib.* & *Plin.* lib. 7. cap. 2. dicunt: *Sub una ficu turme condantur equitum.* Additque *Dalecamp.* hinc: *Quadringentorum.* *Perperam* ex ficu; quam *Horatius* 1. *Satyr.* 8. vers. 1. vocat *inutile lignum:* & ex vite, inutili ad opus, ut dicitur *Ezech.* 15. 5. fierent *Deorum* simulacra, quod affruunt *Plin.* lib. 14. cap. 1. & *Pier.* *Valer.* lib. 53. cap. 3. ni in summam crassiciem inoleferent. *Hinc Plinius* profert: *Nullo sine crescunt: aroidique, aut potius avelli nequeunt.*

Arbores in crecibilibus magnitudinibus. Fabr. Mord.

Q. Curt.

Petr. Bembo.

Cardan.

Sic igitur intelligenda est arborum magnitudo: non quia una, sed quia ex una recortis germinibus in terram, rami qui naturaliter ad aëra tellurem rursus, iterumque

Unde magni que continuo subeuntes, mittunt radices, ex quibus tanta unius arboris amplitudo, pompa, capillamentum, & regmen, sub quo tot hominum millia. Claret ex Ovidio ubi supra, qui primò dicit (ut observat Pontanus) arborem, postea silvam. *Ampla adeo ut ramis densis, lateque diffusis sola parvum quoddam nemus effecere videretur.*

Pontan.

Ovid.

Stabat in bis ingens anno robor quercus  
Una nemus: vitæ mediam memoresque tabella.  
Sæpe etiam manibus nexis ex ordine trunci  
Circumiere modum: mensuraque roboris ultas  
Quinque ter implebat: nec non & cetera tantum  
Silva sub hac omnis, quantum fuit herba sub illa.  
Accinit Ovidius: roboratque cogitationem Plinius lib. 12. cap. 5. *Ficus ibi exilia (inquit) poma habens, ipsa se semper ferens, vastis diffunditur ramis: quorum imi adeo in terram curvantur, ut annuo spatio infingantur, novamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbem, quodam opere topiario. Intra septem eam æstivant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decorâ speciei subter intuenti, proculve fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsum emicant, silvosa multitudine, vasto matris corpore, ut sexaginta pedes pleraque orbe colligant, umbra verò bina stadia operiant. Fructus prædulci sapore, dignus miraculo arboris. Eadem Theophrastus lib. 1. cap. 12. & lib. 4. cap. 5. Non ita accipiendum de arbore Ezechielis, sed ubi dicitur: Radices eius sub illa erant, intelligendum de proportionem radicum respectu fastigij è trunco ramorum.*

Ficus Indi-  
cæ ampli-  
tudo.  
Plin.

Epexegetis  
est in Scri-  
ptis.

15 Quod requiritur in commodum possidentis (iuxta arboris metaphoram) est diuturnitas & utilitas. Constat enim in arbore ex his quæ videntur & latent: quæ videntur in aere super terram, & quæ latent sub terra. Quare ut pateat utrumque, pingitur lignum utile & stabile in commodum: scilicet fursum & deorsum: fursum in ramis, deorsum in radicibus. Epexegetis est, quo schemate quod obscurè, vel breviter dictum, additâ alia voce vel periodo perspicuius dilucidatur. Plura in Scriptura testimonia, & huius loci notitia. Eccli. 51. 9. *In inferno deorsum.* Luc. 4. 9. *Mitte te hinc deorsum.* Ioan. 8. 6. *Iesus inclinans se deorsum.* Mat. 7. 11. *In excelsum supra.* 45. 8. *Rorate celi desuper.* Deuter. 4. 39. & Act. 2. 19. *In celo fursum & in terra deorsum.* Gen. 49. 25. *Omnipotens benedicit tibi benedictionibus celi desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum.* Sic alia: quæ quidem proclive clarent, additâ particula exgetica, seu expositiva, vel exergalica, v. g. scilicet, nimirum, nempe, & id genus alia. Unde sensus: *Mitte te hinc (scilicet) deorsum. In excelsum (puta) supra. Inclinans se (videlicet) deorsum. Sursum (hoc est) in celo: deorsum (id est) in terra.* Videtur in Joel 2. 30. qui sine Hebraismo nudè profert: *Dabo prodigia in celo & in terra.* Et Deuter. 30. 19. *Testes invoco celum & terram.* Sic exponenda cuncta & opportunè, cuius styli ratio invenies apud Virgil. 6. *Aeneid.* v. 577.

Virgil.

*Sævior intus habet sedem: tum tartarus ipse  
Bis patet in præceptis tantum, tenditque sub umbras.*  
*Patet in præceptis: id est, tendit in umbras.* Lucretius 4. de *Rer. natur.* v. 442. & 448. *Sursim supina reverti. Uni subdita subter.* Et denique vers. 630. *Deorsum præcipitavit.*

Et Prolepsi.

16 Etiam exponi possunt per prolepsim, qua figurâ, ut diximus num. 5. quod posterius, præponitur. *In inferno deorsum.* Scilicet deorsum versus infernum. *In celo fursum, & in terra deorsum:* nimirum, fursum & deorsum, in celo & in terra. *Benedictionibus celi desuper,* &c. id est, undique & ubique benedictis: *desuper, nempe, de celo: & deorsum,* puta, de terra. *Rorate celi desuper.* Ros videlicet desuper, id est, ab æthere, quod dicitur celum, quia super nos, ut alibi dixi, & utitur Virgil. 6. *Aeneid.* vers. 719. & 896.

Cælum pro  
æthere.

Virgil.

*O Pater! Anne aliquas ad cælum hinc ire putandum?  
Sed falsa ad cælos mittunt insomnia Manes.*  
*In excelsum supra:* id est, supra versus excelsa. Etiam apud Ethnicos huiusmodi circumlocutio. Homer. 11. *Iliad.* v. 54. *Ab alto demisit rore, sanguine madidos ex æthere.* Virgil. loc. cit. v. 436. lib. 12. v. 245.

Homer.

Virgil.

*Quam vellent æthere in alto.  
Hic aliud maius luturna adiungit, & alto  
Dat signum cælo.*

Pro

17 Pro clariore intelligentia pretium opera duxi harum vocum acceptiones exprimere, ut constet quid signent *Sursum & Deorsum, Super & Subter, Suprà & Infra, à summo usque in imum, &c.* Hi termini quasi relativi, nihil aliud rigorose significant quam rei habitudinem, ampliorem ambitum, distantiam, latitudinem aut longitudinem; quod absolute dicitur terminus, extra quem nihil rei, & intra quem tota res continetur. Marc. 15. 38. *Velum templi scissum est à summo usque deorsum.* Id est, totum, ab ora summa, superioreve, inferiore usque. Exod. 26. 24. *Eruntque coniectæ (tabulæ) à deorsum usque fursum:* hoc est, à puncto superiore usque in inferius. Idem cap. 36. 19. Deuter. 4. 32. *À summo celo usque ad summum eius.* Sapient. 8. 1. *À sine usque ad finem.* Nimirum, à principio ad finem. Liqueat Ioann. 19. 23. ubi de tunica Servatoris: *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum.* Hoc est, tota contexta, desuper scilicet usque subter. Quare sicut distantia ambitus, & altitudo sumitur à centro terræ usque in cælorum extensionem, & nos vivimus inter huiusmodi extrema, habentes infra centrum, & cælum fursum; *Sursum & Deorsum, Desuper & Subter* intelligimus quod supra nos est, & infra nos iacet. Quo intelliguntur infinita sacra testimonia.

Quid est fursum & deorsum, supra & infra?

Pro toto;

18 Terra locata est & firmiter, licet deliret Copernicus, & ossa putria sententia iam humate egerat Chartesius, ut vidimus Tom. 1. Tautolog. 1. n. 15. Constat Psalm. 103. 5. *Fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in sæculum sæculi,* & 92. 1. *Firmavit orbem terra, qui non commovebitur.* Idem Eccl. 1. 4. Unde cætera firma, est distantia à centro, quippe æqualiter distantia: & linea æqualiter distantes à centro, à centro non sunt distantes; quoniam pari distantia in centro sunt, iuxta principia Euclidis, experiri que potes, fixis in angulis parilibus trianguli duobus gladijs eiusdem ponderis & longitudinis, qui quidem penduli in aère permancbunt, hærente firmiter angulo pyramidalis in indivisibili puncto. Centrum mundi versus omnia, uti astruit Aristoteles lib. 2. de *Cælo*, text. 90. & 98. Quare est mobile moveantur; quasi immobilia: quippe æqualiter moventur. Sic igitur 1. Paralip. 16. 30. dicitur, & quasi antilogice: *Commovetur à facie eius omnis terra: ipse enim firmavit orbem immobilem.* Si immobilis, perpetui posset moveri: diciturque mobile in terra immobile; quippe quàm æqualiter mobile in immobili movetur, non movetur; igitur in centro est, & nil movetur in centro, sed versus centrum. Canit Boëtius 4. de *Consol. Philosoph.* metr. 6.

Terra in medio, centrum insonat.

1. Paralip. 16. 30.

Quemodò & ubi immobile moveantur?

*Si vis teli iura Tonantis  
Parâ solers cernere mente;  
Aspice summi culmina cæli.  
Illic iusto fœdere rerum  
Vetere servant sidera pacem;  
Non Sol rutilo concitus igne,  
Gelidum Phœbes impedit ænem,  
Sic alternos reficit cursus  
Aternus amor: sic afrigeris  
Bellum discors exulat oris.  
Hæc concordia temperat æquis  
Pendulus ignis surgat in altum;  
Terræque graves pondere sidant;  
Nam nisi rectos revocans ictus  
Flexos iterum cogat in orbem;  
Que nunc stabilis continet ordo;  
Disseptra suo fonte fatiscunt.*

Quasi

19 Ita ergo centrum mundi dispositum, ut per *Sursum, Super, Excelsum, Cælum*, &c. intelligamus quidquid supra nos est usque ad concavum cæli primi: & per *Deorsum, Subter, Profundum, Infernum*, &c. quidquid infra nos est usque in mundi centrum. Unde cum centrum, seu mundi cardo respectu circumferentiæ sit locus imus, (quippe medius, à quo linea rectæ ad periferiam, seu extremitatem ductæ, sunt æquales) & cælum, uti longior circulus, locus supremus, qui sanè supra nos; ut indicetur infernum, dicitur *In terra deorsum*, quoniam deorsum in terra est orbis punctum: & ut signetur supremam, dicitur *In celo fursum*, igitur fursum in celo est latior circumferentia. Quapropter dum dicitur à summo celo, usque ad summum, non exprimuntur centra;

Ordo natura re sursum & deorsum.